4°
J. 6. Th.
B. S.

Catal.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA
HEBERIANA

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTHECA BREITENAVIANA,

SIVE
OPERVM, LIBRORVM, SCRIPTORVM,
AD OMNE LITERARVM GENVS SPECTANTIVM,
EDITORVM ET INEDITORVM,
QVAE
VIR PERILLVSTRIS, GENEROSISSIMVS ATQVE
EXCELLENTISSIMVS,
**CHRISTOPHORVS GENSCH
A BREITENAV,**
EQVES AVRATVS ORDINIS DANNEBROGICI, HAEREDITARIVS
IN GRVNENHOFF, AVGVSTISSIMI DANIAE ET NORVEGIAE
REGIS CONSILIARIVS INTIMVS,
MAGNO COMPARAVIT DIGESSITQVE STVDIO,
CATALOGVS,
IN TOMOS III. ET PARTES VIII. DIVISVS
AC SELECTIS QVIBVSDAM ANNOTATIONIBVS INSTRVCTVS.

PRAEMISSA EST
MEMORIA BREITENAVIANA.
ACCESSIT
CONSPECTVS BIBLIOTHECAE BREITENAVIANAE
ET
AVCTORVM INDEX.

SCRIPTORE
IO. HENR. A SEELEN,
SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBEC. RECT.

LVBECAE.
TYPIS GREENIANIS. A. MDCCXLVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

ſ. p. d.

IO. HENR. A SEELEN.

Accipe tandem, BIBLIOPHILE, Operum, Librorum & Scriptorum, laudatiſſimo ſtudio BREITENAVIANO congeſtorum, Indicem, cui adornando horas per aliquot annorum ſpatium ſubſecivas impendi. Videbis hic theſaurum librarium cum paucorum modo, ſi a ſummorum Principum diſceſſeris Bibliothecis, apparatu comparandum. Videbis librorum ad ſanctiorem quoque diſciplinam, ne de arte ſalutari & literis elegantioribus dicam, perti-

nentium copiam, quam a Viro rebus potisſimum civilibus, exigentibus id ipſum ſplendidisſimis, quae gesſit, muneribus, intento, acquiſitam non poteris non mirari. Videbis vaſta Opera, at ſimul Scripta minora (quorum aliqua maioribus ob argumenti ſimilitudinem a Bibliothecae conditore, in eiusmodi rebus valde curioſo & accurato, adiuncta, ab iisdem ſeparare nolui, ſed appoſito ſigno † notavi), ac in his multa dudum diſtracta adeo, vt rarioribus hodie queant annumerari, prudentisſime etiam & ſolertisſime collecta, quoniam haec quoque inſigni ſaepe ſunt vſui, quando ſcilicet ſingularia quaedam argumenta ſic pertractata exhibent, vt coniunctim praebeant, quae in magnae molis voluminibus, e quibus formata ſunt, ſparſim leguntur. Videbis libros varios, quos ob pretii magnitudinem, ob deficientem parandi occaſionem, ob raritatem, non cuivis posſidere datum eſt. In horum indice conſignando exemplum mihi propoſui *Catalogum Bibliothecae Thuanae*, quae a magni in civili pariter ac literaria republica nominis viro, IAC. AVG. THVANO, appellationem traxit. Ad hunc enim me potisſimum ablegabat peritus, ſi quisquam alius, harum rerum iudex, DAN. GEORG. MORHOFIVS, in Polyh. Liter. L. I. c. 5. ſcribens: *Elegans illa Bibliothecae Thuanae diſtributio ſecundum ſcientias & artes ab ISM. BVLLIALDO digeſta, exemplum abſoluti dare Indicis poteſt:*

Digitized by Google

poteſt: nam accuratiſſima ſerie in qualibet parte diſpoſiti ſunt. Et deinceps cap. 18: *Commendo Catalogum Bibliothecae Thuanae. Mirifice mihi placet ordo: non enim contentus ſummis tantum capitibus auctor, ſub ſpecialibus titulis locavit auctores, vt ſtatim occurrant, qui de eodem argumento ſcripſerunt, quod Locorum Communium inſtar eſſe poteſt.* Quamvis autem laudatus Catalogus mihi, quod non inficior, facem quodammodo praetulerit, eidem tamen non potui tam arcte me adſtringere, vt in formandis *Titulis*, in eo interdum adeo ſpecialibus, imo ſpecialiſſimis, vt nonnunquam vnum modo, vel duo, ſaepius perpauca Scripta ſub iisdem reperiantur, ſemper eum fuerim ſecutus, quod nusquam forte magis factum, quam in Iure Civili, vbi ſecundum varios ſpeciales titulos, qui in Pandectis ſunt, Scripta digeſſi. Caeterum nonullos, qui commode coniungi poterant, titulos coniunxi, ne eorum numerus nimium excreſceret, & maius, quam opus erat, ſpatium occuparet. Addo alia, e quibus conditio huius Indicis poterit quodammodo conſtare. *Formarum* eam ſemper habere rationem, vt vel primae, vel ſecundae, & ſic porro, magnitudinis libri coniunctim apparerent, non putavi neceſſarium; ſatius duxi, argumentorum cognationem, quam hunc formarum ordinem, reſpicere. Vt a potiori fit denominatio, ita etiam

Digitized by Google

a *primo* plerumque *Scripto*, aut *Libro*, volumen locum eſt nactum, reliquis tamen, eodem contentis, ſimul annotatis. Quod ſi iidem Libri, vel eadem Scripta, plus vice ſimplici occurrant (iſtud autem perraro eveniet), aut diverſae ſunt editiones, aut ab aliis libris & ſcriptis, quibus in vno adhaerent volumine, ſeiungi non potuerunt. *Anonymi* ſaepius ſola litera *A.* indicantur; *Pſeudonymi* autem in Indice Auctorum ſuis collocati locis reperiuntur. *Collectiones* cum iudicio adornatae & ſcripta ad vnum pertinentia idemque argumentum continentes, ab ipſo BREITENAVIO, tam accurato, vt diverſae etiam formae Scripta, ad idem ſpectantia argumentum, coniunxerit, factae; reliquae autem coëmtae ſunt e Bibliothecis eorum, qui Scripta, dummodo eiusdem formae ſint, promiſcue curant compingenda. *Annotationes* (*), quas dedi, paucae ſunt, & vix dignae, quarum fiat mentio, ſi eae forſan excipiantur, quae *MSStorum* titulis ſubiectae.

(*) Vid. Tom. I. p. 4. 7. 17. 23. 242. 266. 318. 328. 340. 366. 367. 368. 404. 405. 604. 668. Tom. II. p. 58. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 96. 126. 378. 422. 443. 453. 463. 477. 486. 487. 505. 525. 529. 534. 561. 562. 567. 568. 569. 572. 593. 594. 614. 623. 630. 636. 646. 648. 659. 663. 664. Tom. III. p. 4. 5. 7. 9. 12. 16. 30. 31. 36. 37. 45. 54. 63. 79. 87. 95. 104. 105. 115. 124. 132. 168. 170. 195. 234. 236. 237. 243—288.

Digitized by Google

ſubiectae. Quamvis enim multo potuiſſem copioſius (**) eas praebere, rarius tamen modo & ibi tantum, vbi videbatur opus, eas adieci, tum quia non deſunt Catalogi hac ratione confecti, tum quia amplitudo Operis non permittebat, iſtud hoc modo reddere amplius: *Conſpectum* potius & *Indicem Auctorum*, quem vtrumque iudicavi vtilem, volui ſubiungere. De *Voluminum* numero obſervandum, quod a potiori ductus ſit calculus; ſiquidem pleraque ſunt iuſta Volumina, & haud pauca, Scriptis praeſertim repleta minoribus, ſpiſſa adeo, vt tenuitatem nonnullorum facile compenſent. Interim ſenſu antiquiori cuncta recte dici queunt volumina, quoniam more loquendi veterum, qui a volvendo dixerunt volumen, tantum habent, quantum ad volumina requiritur. Pleraque autem Volumina nitide admodum ſunt compacta, atque a maculis crasſioribus ſervata immunia, vt adeo haec Bibliotheca externo etiam habitu ſit ſpectabilis. Atque iſthaec ſunt, LECTOR OPTIME, quae

(**) Sic e.g. ad Rabbinicum librum Tom. I. p. 179. n. 1. adductum, potuiſſet obſervari, quod is contineat Haphtaroth, vel Sectiones Prophetarum, ſecundum ritum Synagogarum, Germanorum, Hiſpanorum, Italorum, cum Commentar. R. DAV. KIMCHI. Baſil. apud Ludov. König, anno Mundi cond. 5379, red. 1619.

de BREITENAVIANO Librorum & Scriptorum apparatu ſcire te volui. Caetera ex ipſo percipies Opere, & ex hoc de internis feres iudicium. Ego vero ſplendorem Operi conciliare ſtudui *MEMORIA BREITENAVIANA*, digna, imo dignisſima, quae ad ſeram transmittatur poſteritatem. In hac literis conſignanda verſari mihi licebit ita, vt candide potiora referam momenta, & quemadmodum Deſcribendus fucum atque adulationem odio proſequebatur maximo, ſic Deſcriptio quoque characterem Ipſius exprimat, omne iſtud fugiendo, quod fucatum & adulatorium poteſt nuncupari. Tu vero, LECTOR INGENVE, ſi in hoc Opere deprehendes etiam, quod homini facile poteſt contingere, perpende, pro humanitate tua ac prudentia, & copiam & varietatem Librorum atque Scriptorum, in quibus digerendis & collocandis fortaſſe potuit oboriri, quod oculis, quam oculo, poſterioribus curis attentius, quam prioribus, perſpicitur. Mihi erit gratum, ſi ex hoc Opere vel vtilitatem non plane nullam, vel aliquam ſaltem haurire poteris iucunditatem. Ita vale & res tuas age feliciter. Scr. Lubecae, d. 26. Iun. 1747.

MEMORIA BREITENAVIANA.

Maiori fere nunquam voluptate literarium ſuſcepi laborem, quam cum placeret Viro illuſtri & generoſisſimo, CHRISTIANO FRIDERICO ab HEESPEN, Auguſtisſimi Daniae & Norvegiae Regis Conſiliario Status ac Provinciali fide meritisque inclytisſimo, mihi committere elaborationem

Cata-

Catalogi Bibliothecae & ſplendidae & ſelectae, qua gaudet ſibi relicta. Quam difficilis alias & moleſtus videtur multis eiusmodi labor, tam facilem ac iucundum mihi eundem laudatae Bibliothecae conditoris, Viri perilluſtris, generoſisſimi atque excellentisſimi, CHRISTOPHORI GENSCH A BREITENAV, Ordinis Dannebrogici Equitis, Haereditarii in Grünenhoff, S. R. M. Danicae Conſiliarii intimi, venerationis plena memoria, ex voto recolenda, reddebat. Summa enim merita, quae poſt obitum ſuperſtes BREITENAVIVS, dum viveret, in republica & civili & ſacra & literaria ſibi acquiſivit, tam alta dudum mente repoſui, vt memoriam eorundem cum ipſa demum vita ſim depoſiturus.

ſiturus. Renovabat eam oblatus mihi labor & ſtatim revocabat in animum merita ac beneficia tanti Viri, mensque mea afficiebatur intenſisſime libero ad Bibliothecam ornatisſimam, quae, vivente Conditore, cuius largisſime, immerens licet, fruebar benevolentia, mihi iam profuerat, aditu, eiusdemque vſu, quem me potuiſſe in vſus meos convertere, gratus profiteor, benigne conceſſo. Proinde arcano mox inflammabar deſiderio, ſpeque ducebar certisſima, fore, vt non magna ſolum magni Viri merita accuratius cognoſcerem, verum nanciſcerer quoque occaſionem, ſolidioribus ea praedicandi rationibus, & pietatis grataeque mentis erga Virum, quo perbenevolo olim vſus eram Pa-

trono, poſt fata etiam dandi, & monumento quidem publico, documenta. Sic animo propenſiſſimae erga me voluntatis memore volvebam aliquid, quod non, niſi dato ab hodierno Bibliothecae Breitenavianae Poſſeſſore, HEESPENIO, quem iterum honoris cauſa nomino, calculo perficere licebat. Hunc vero impetrare, opinione difficilius reperiebam, ſiquidem rogante me, vt liceret Virum, quem viventem iure veneratus eram, defunctum quoque eo, quo par eſt, modo honorare, meis non annuebat ſtatim precibus, varias potius opponebat cauſas, quae initio videbantur penitus impedire, quo minus conata exequerer. At inſtabam, iis vtens rationibus, quibus finem, quem mihi propoſueram, obtinebam

nebam tandem, motis dubiis ex animi remotis ſententia. Quam vehementer tunc de impetrato demum conſenſu HEESPENIANO, quo nihil mihi poterat eſſe acceptius, gaudebam, tam valde optarem nunc, vt, quae olim, data a Maecenate literatisſimo facultate, quam non poteram non honori mihi ducere, Ipſum adeundi, cum Eodem de rebus colloquendi literariis, adeoque in domo eius non corporis modo, ſed animi etiam pabulo ſaepius fruendi, cognovi, e quibus vtrum pereximiam benignitatem magis? an ſolidisſimam demirer optimarum varii generis diſciplinarum ſcientiam? dubius haereo; quaeve, luſtrando & tractando theſaurum Eius librarium, ac ſimul monumenta, quae in eodem mihi ob-

Digitized by Google

veniebant, literaria, manu Ipſius ſcripta: perſpiciendo iudicium in comparanda Bibliotheca adhibitum: videndo alia, virum & ingenio & ſtudio vere magnum multisque praeferendum aliis, demonſtrantia, intellexi; tecum, LECTOR BENEVOLE, ea communicare poſſem facundia, qua illuſtre adeo Viri, in quo vno tot conveniunt egregia, quae & miranda & efferenda, quot vix in multis aliis coniunctim inveniuntur, exemplum praedicari, & cui *OB MERITA*, vt veteri vtar formula, monumentum aere perennius ſtatui, meretur. Aſt hic infirmitati meae & in dicendo infantiae denuo reverentiae ergo appellandus HEESPENIVS peropportune ſubvenit, optatasque ei tulit ſuppetias. Is namque

vti

vti primum cuncta, quae in honorem & laudem Patroni olim optimi meditabar, ſilentio involvi, quam in lucem proferri, malebat, impulſus, quam, quod lubens profiteor, improbare non poteram, modeſtia, & praeterhanc, timore etiam, quo verebatur, ne laudatoris meritorum gloria ſplendidiſſimi Viri, proxima cognatione Ipſum attingentis, a quo, dum viveret, maximis ornatus fuit beneficiis & amoris intenſiſſimi documentis, haeresque ex aſſe, ad quem tota bonorum, quae poſſidebat, haereditas tranſiret, inſtitutus, perſonam ab Ipſo mihi impoſitam, viamque hoc iuſſu ad adulatorium ſcribendi genus fuiſſe ſtratam, aliqui ſuſpicarentur, in quorum, ſi tales forſan fuerint, gratiam ſanctiſſime affirmo,

quod oppido fallantur, ſiquidem a nulla re alia, quam a ſola mea erga incomparabilem, dum in vivis erat, Fautorem pietate, quae nulla poterat occaſione, quam hac, commodius declarari, omnis hic labor derivandus; ita mihi quidem varia, quae mutandae Ipſius menti inſervire poſſe, exiſtimabam, iterum iterumque, incitantibus, quos in pectore ſentiebam, ſtimulis, pro virili vrgenti, permittebat tandem, vt tenerem propoſitum, ea tamen conditione, cui me alligabat ſtrictisſime, vt, quae mihi de BREITENAVIO & rebus ad Eundem pertinentibus ſive ex ore ipſius, eo me ſaepius dignati honore, quo vel menſae admovit, vel in loco Bibliothecae, quam mecum adire Ipſi placebat, de rebus eruditis

differere

differere consuevit; sive ex aliis relationibus & documentis, innotuerunt, ea sine fuco, pigmentis, adulatione, referrem, solumque candorem, de veritate rei vnice, non de sermonum phaleris sollicitum, supremam mihi in hoc labore exantlando legem praescriberem. Hoc vero mihi erat eo gratius, quo magis & meae convenit indoli, quae veritatem studet sectari, assentationes odit & blandimenta. Historicum itaque agam, non Panegyristam, calamumque a nimia prohibere laude contendam, omnem in id collaturus operam, ne fixos mihi limites transgrediar. Tu proinde, LECTOR CANDIDE, noli quicquam aliud, praeter narrationem, qua nonnulla tantum momenta biographica continentur, multa

facta

facta & res civiles praeclare geſtae, quae copioſe poterant commemorari, ne attinguntur quidem, multo minus (id enim mihi ſumere, ob earum magnitudinem & gravitatem, non potui) plene ediſſeruntur, exſpectare. Et hac eris contentus, neque mihi vertes vitio, ſi tot non attulero laudes, quot afferre, fas reputabis. Cogites velim, quod Viri, cuius auctoritati refragari nec potui, nec volui, modeſtisſima voluntas calamum ſaepe retardarit. Cogites vero etiam, quod virtus ſemet ipſam excellentia ſua & praeſtantia ſatis ſuperque commendet, adeoque praecone non indigeat.

Hoc conſilio rem ipſam aggredior, commemoroque, quod Vir, cuius ſolum nomen qui profert, is non poteſt per-

ſonam aliam, quam excellentisſimam, nominare, taciteque eam efferre, CHRISTOPHORVS GENSCH A BREITENAV, natus ſit an. 1638. d. 12. Aug. in vrbe Numburgenſi, ea gaudente felicitate, vt Viris, quos produxit, dignitate & meritis illuſtribus BREITENAVIVM queat accenſere. Hanc naſcendi ſortem reddidit felicem Parentum optimorum virtus, quae totam eorum vitam condecoravit. Pater, CHRISTOPHORVS GENSCH, Cizae Iudicis Provincialis Saxonico-Electoralis munere ea functus eſt fide, eo ſtudio, ea prudentia, vt meritorum perinſignium fama inclaruerit. Mater, MARIA, natu FVCHSIA, inter Matronas exquiſitisſimarum virtutum, ſexum in primis ornantium ſequiorem,

decore nobilisſimas locum haud poſtremum occupavit. Vtriusque Parentis praecipua fuit cura, vt carisſimum pignus, divino acceptus dono filius, ad magna natus, inque Chriſtianam d. 15. Aug. ſacri lavacri beneficio adſcriptus civitatem, a teneris genuinae aſſuefieret pietati, eademque ſolide imbueretur; quae res eo optatiori gaviſa eſt ſucceſſu, quo praeclarioribus laudatisſimi Parentes ei praeiverunt exemplis, in quae intuitus non potuit non ad percipienda, quibus exequendis per omnem vitam navavit operam, veri Chriſtianiſmi officia inflammari. Optima quoque ad bonas literas mature Ipſi monſtrabatur via, ſiquidem Pater, de ſalute filii praeclarisſimae indolis & ſpei valde ſollicitus, nulli

nulli parcebat operae, nullis ſumtibus, quibus ad rite Eundem formandum erat opus, & media quidem inter arma, cum funeſtum, quod per triginta duravit annos, bellum vexaret quoque *Cizam*, quae modo ab hac, modo ab illa hoſtium cohorte occupata, non direpta modo aliquoties, ſed haud exiguam quoque partem incendio fuit deleta. Quamvis itaque Martis furor circulos nonnunquam turbaret eruditos, omnium maximè tamen Eum obitus Parentis, non ſine intenſo cunctorum, quibus ob dexteritatem & raras virtutes alias fuerat in deliciis, dolore an. 1648. d. 25. April. mortui, affligebat, ſiquidem decimo aetatis anno iacturam fecerat illius, cuius cura vere paterna ſe, vna cum tribus ſororibus &

Digitized by Google

fratre vnico aegerrime videbat deſtitutum, & eo quidem tempore, quo optima rerum, Pax, redibat, quam minime invidebat Germaniae, ſuam autem vicem vehementer dolebat. Triſtia haec fata, quae iuvenem primo aetatis decennio ſubire oportuit, multo fuiſſent triſtiora, ſi mors fidelisſimam ſimul abripuiſſet matrem, quam, an. 1656. d. 26. April. defunctam, per ſequens octo annorum ſpatium divino ſuperſtitem favore laetisſimus conſpexit. Haec enim nihil in ſe deſiderari paſſa eſt earum rerum, quibus filio poterat ferre ſuppetias, vt in ſtadio literario ſtrenue poſſet plus vltra decurrere, atque *Numburgi* ope peritorum magiſtrorum optatos in artibus liberalibus facere progreſſus. Clementia vero, qua Serenis-

renisſimus Elector Saxonicus, IOHANNES GEORGIVS I, dignatus erat patrem, proderat filio, cui, meritorum paternorum memor, locum in illuſtri *Schola Portenſi* benignisſime curabat offerendum, quem, gratiam Principis ſingularem humillime agnoſcens, occupavit quoque, etſi interiecto aliquo temporis ſpatio aderant rationes, quae, alacris & excitati ingenii iuvenem adire *Lipſiam*, ſuadebant. Privata hic aliquandiu vſus inſtitutione, ſatius ducebat, in publica bonarum mentium officina literarum, quibus aetas iuvenilis ad humanitatem informatur, quaerere incrementa. Hoc conſilio eligebat patriam, revertebaturque *Numburgum*, quorſum trahebatur potisſimum fama M. THEOPHILI COLERI,

LERI, Rectoris & eruditione exquiſita & ſtudio indefeſſo perinclyti, quo duce per tres annos cum dimidio tam egregie, tamque feliciter ad ſtudia Academica fuit praeparatus, vt decimo ſeptimo aetatis anno iudicaretur aptus ad eadem auſpicanda, dignus idcirco, qui praecoces inter eruditos illuſtri loco ponatur. Redibat itaque *Lipſiam*, vbi a Rectore magnifico, D. CHRISTIANO LANGIO, Medicinae Profeſſore longe celeberrimo, d. 8. Mart. 1655. Albo civium Academicorum inſertus, animum ad ſtudia ſublimiora eo adiecit fine, vt optimarum notitiam hauriret diſciplinarum, & earum praeſertim, quae Iurisprudentiae feliciter capiendae inſerviunt, ipſa ſacra, cuius ab eodem etiam haud leviter perceptae

varia

Digitized by Google

varia ſuperſunt documenta, non neglecta. Legalis interim ſcientia fuit caput rei in illuſtri Philurea Muſarum ſede eo pertractatae ſtudio, ea induſtria, ea attentione, vt & publice & privatim excellentisſimos audiret ICtos, e quorum ore ſicut vtilisſima Iuris dogmata optime percepit, ita ipſe legendo, ſcribendo, meditando, ſcrutando, permulta ſibi reddidit cognita, e quibus magno cum iudicio deinceps adhibitis maximum commodum perſpexit. Sic laudatisſime aliquot in alma Lipſienſi annos transegerat, & tam proſpero quidem ſucceſſu, vt mox cenſeretur idoneus ad officia Principibus praeſtanda.

Quemadmodum enim virtus diu latere nequit, ſed mox, fama opinione celerius

celerius eam nuntiante, innoteſcit, ſic ea, qua Noſter praeditus, ſtatim quoque fuit in luce collocata. Innotuerat nimirum tum ipſi Serenisſimo Duci Gothano, ERNESTO, cui, praeter alia magno Principe digna, vel ſolum PII cognomen aeternam conciliavit famam, tum Miniſtro ipſius primario & Conſiliario intimo, immortalis memoriae non in civili modo, ſed ſanctiori etiam republica, quam incomparabili de Lutheraniſmo Commentario valde ſibi obſtrinxit, Viro, VITO LVDOVICO A SECKENDORF, qui, de praeſtantia ipſius certior factus, ſingulari eum benevolentia complexus eſt, &, vt ad Aulam accedere ipſi liceret, effecit. Commorabatur iſto tempore Gothae Princeps iuventutis Slesvico-

Sleſvico-Holſato-Norburgenſis, RVDOLPHVS FRIDERICVS, cui cum adiungendus eſſet, qui ſtudiorum Ipſius rerumque haberet rationem, & Noſtro aptior non reperiretur, haec ei obtingebat fortuna, vt laudatus Princeps, cui placebat mirifice, eum prae aliis iudicaret dignum, quem ſibi adſciſceret. Neque capti huius conſilii vnquam illum poenituit, ſiquidem BREITENAVIVS ſpartam hanc ornabat adeo, vt magnum inde honorem ſibi acquiſiverit. Vnde etiam Princeps peregrinaturus eum deſiderabat itineris ſocium, in quo, aeque ac in caſtris, quae inviſere bellicaeque virtutis ſpecimen edere, Principi placuit, tanta eum prudentia, tantoque animo, quo maxima etiam pericula haud reformi-

davit, comitatus eſt, tamque ſapienter inſtruxit, vt haec opera ad laudem ipſi valeret perinſignem. Quare etiam in Principis amorem ita ſeſe inſinuaverat, vt Is porro eius vti officiis, & negotiis ſuis expediendis eum praeficere, decerneret. Naſcebatur hinc occaſio demonſtrandi in Aula Norburgenſi, quod ad res agendas perquam eſſet idoneus. Conſpiciebat hoc honorificentisſime denuo appellandi Principis mater, ſerenisſima Vidua, ELEONORA, e ſerenisſima Domo Anhaltino-Serveſtana oriunda, quae idcirco Viduitatis Conſiliarium & Aulae Praefectum (Wittthums-Rath und Hof-Meiſter) eum conſtituebat, fidem eius quoque & peritiam abunde experta, multaque benignitate largiter proſecuta.

Fama

Fama ipſius integerrima Cimbriam pervagata tranſierat quoque *Ploenam*, quae tantum virum Norburgo ad ſe trahebat, cum ſerenisſimus Princeps, IOACHIMVS ERNESTVS, eum ſibi aſſereret, & literis an. 1667. d. 10. Mart. ſcriptis *Conſiliarium Aulicum* clementer renuntiaret. Hac dignitate auсto, in magni momenti cauſa, probandi exquiſitam, qua res civiles poterat tractare, ſcientiam anſa praebebatur, cum iſto tempore Auguſtisſimus Daniae Rex & Serenisſimus Princeps Gottorpienſis ex vna, ac Serenisſimus Princeps Ploenenſis ex altera parte, de *Succesſione Oldenburgica* diſceptarent, quae ardua res ipſi potisſimum agenda committebatur. Satis itaque diſtringebatur curis, quibus vt interponeret gaudia,

dia, ſerenisſimae Principis Viduae Norburgenſis, cuius antea fuerat Miniſter, Virginem cubicularium (Cammer-Fräulein) lectisſimarum virtutum decus prae ſe ferentem, AGNESAM von ROHR, Principalis Saxo-Leoburgenſis rei venatoriae Praefecti, HELMVTH von ROHR, Haereditarii in Pentzlin in Marchia Brandenburgica, & Matronae generoſae, ELISABETHAE von GAVDELITZ, e domo STALMEN ortum trahentis, filiam, d. 15. Dec. 1668. coniugem nanciſcebatur exoptatisſimam, nuptiis in Oſterholm, vbi tunc laudata ſerenisſima Vidua ſedem fixerat, celebratis. Pergebat nihilo ſecius Principi ſuo vtilisſima praeſtare officia, tum in rebus aliis, tum praeſertim in cauſa Succesſionis, cuius ergo ad Aulas, Guel-

Digitized by Google

Guelpherbytanam, Berolinenſem, Dresdenſem, Moguntinam, & plures, ablegatus, totum dirigebat & ore & calamo negotium, ſive, vt ſtylo vocant forenſi, Proceſſum, aderatque, Caeſareae Maieſtatis auſpiciis, a Miniſtris Brandenburgicis & Guelpherbytanis, Hamburgi congregatis, Commisſioni, Mediationis tentandae cauſa an. 1669 & 1670 habitae, neque Aulae modo Regiae Danicae Feudi in Slesvicenſem Ducatum praetenſionem (Lehns-Muthung) ad liquidum perducebat, ſed efficiebat quoque, vt agitatam huc vsque de Succesſione Oldenburgica litem, exoptata, dirigente Ploenenſi Principe natu maximo, IOHANNE ADOLPHO, Duce deinceps regnante, cui, vna cum Noſtro, negotium hoc

peragendum a ſerenisſimo Parente erat traditum, auguſtisſimum inter Daniae Regem, CHRISTIANVM V, & ſerenisſimum Ducem Holſato-Ploenenſem, IOACHIMVM ERNESTVM, Compoſitio, quae neque Regiae, neque Ducalis Domus obeſſet commodis, vtrique potius prodeſſet, d. 18. Mart. 1671. Hafniae auſpicato perfecta, ſequeretur. Quantum autem hinc ſenſerat gratiae, qua ſerenisſimus Princeps, IOACHIMVS ERNESTVS, dudum erat eum dignatus, incrementum, tanto affligebatur dolore, cum Is eodem anno 1671. d. 5. Octob. defungeretur, adeoque Noſter amitteret Dominum, cui fuerat in deliciis. Sed hic quoque Principis obitus augebat labores, quibus Aulae optime conſulere anni-

annitebatur. Cum enim Teſtamentum a Duce relictum ſtatim aperiri non poſſet, de erigendo inter quatuor Filios Pacto ANTE-Succeſſorio erat ſollicitus, quod d. 17. Sept. 1672. ſtatutum, magnam ei prudentiae & circumſpectionis laudem comparavit. Reſignato deinceps Teſtamento, auſpicatoque Ducatus Ploenenſis regimen IOHANNE ADOLPHO, ab hoc in muneribus fideliter adminiſtratis confirmatus, eandem in magni momenti negotiis tractandis dexteritatem continuavit. Integre enim porro verſabatur ipſius labor in cauſa, quae & difficilis erat & diu duraverat, Succesſionis Oldenburgicae, in Aula Caeſaris tandem diſcuſſa, quam ope Sententiae contra ſerenisſimum Ducem Slesvico-Hol-

Holſato-Gottorpienſem, CHRISTIANVM ALBERTVM, a Iudicio Aulico Viennenſi publicatae, plane finiebat, aderatque an. 1676 Oldenburgi Commiſſioni Executionis, a Caeſarea Maieſtate per memoratam Sententiam demandatae, atque ſic totus in eo erat, vt finis tandem adeſſet controverſiae, quae longo temporis ſpatio ipſum exercuerat, quem ſcopum ſibi praefixum ex voto etiam obtinuit. Simili modo effecit, vt Transactio cum Daniae Rege inita impleretur, & omnes motus propter Caeſareum ratione Ducatus Holſatiae Feudum exorti deſinerent, haecque etiam res plene excuſſa exitu gauderet optato.

Exinde comitabatur sereniſſimum Ducem ſuum, qui Regia ſuſceperat mini-

miniſteria, Hafniam, vbi BREITENAVIVS noſter iſto iam tempore ad varia, eademque ardua, Regis negotia exequenda fuit adhibitus. Officiis, Serenisſimae Domui Ploenenſi, quam haud exiguis, quibuscum ipſi huc usque fuerat conflictandum, liberaverat difficultatibus, eiusque conditionem reddiderat meliorem, laudatisſime praeſtitis, cum tantam nactus eſſet famam, vt Daniae Rex, Elector Brandenburgicus, Dux Brunſvico-Luneburgo-Cellenſis, & plures, inter Miniſtros ſuos, oblatis conditionibus perhonorificis, eum vellent cooptatum, a Principe ſuo m. Iun. 1676. decentisſime cupiebat quidem dimitti, recordatus autem gratiae plane ſingularis, multisque adhuc comprobatae & novis auctae do-

cumentis, deſiderio Principis non annuere, ſibi ducebat religioni, atque idcirco per aliquod porro tempus ſubſiſtere in Aula Ploenenſi, apud animum conſtituebat. Vt vero auguſtisſimus Daniae Rex, CHRISTIANVS V, eum ſibi aliquando totum vindicaret, eiusque opera & in praeſenti & in poſterum vti poſſet, ipſum, conſentiente Duce Ploenenſi, an. 1678. d. 24. Aug. clementisſime, annuo decreto ſalario, conſtituebat Conſiliarium e Domo, vel Aula aliena, quem Rath von Hauß aus appellant, ita tamen, vt munus hoc ipſi delatum neutiquam obeſſet officio, quo Principi ſuo erat obſtrictus, ſed is maneret omnino in eodem, Rege nihil ipſi commiſſuro, quod Ducis Ploenenſis rationibus obſtaret, ſed, ſi quid eius-

eiusmodi in tractatione & elaboratione rerum ei concreditarum praeter ſpem emergeret, praevia humillima ſignificatione, alterum ſuſcipere hunc laborem, iuſſuro. Sic proſpere agebat vitam, ſed, quae eſt ſors humana, non ſine intermixto moerore, coorto e coniugis coniunctisſimae, laudatae AGNESAE von ROHR, tam gravi, quam diuturno morbo, qui factus tandem lethalis, privavit eum an. 1680. d. 7. Aug. vxore, quacum ſuavisſime per duodecim vixit annos, ſine prole quidem, at non ſine amore mutuo intenſisſimo, qui hoc coniugium fortunavit. In medio hoc verſans dolore non poterat non recreari gratia auguſtisſimi Daniae Regis, CHRISTIANI V, cui, honoribus ipſius addere incre-

menta, placebat. Quod enim dudum ob magna promeruerat merita, id per Diploma, clementiae vere Regiae plenum, d. 8. Mart. 1681. consignatum, impetrabat, dum in generosum Nobilium ordinem adscribebatur, nomen gentilitium, *von BREITENAV*, sortitus. Eiusdem anni die 16. April. vltimam inter serenissimos Duces, IOHANNEM ADOLPHVM, Ploenensem, & CHRISTIANVM ALBERTVM, Gottorpiensem, perficiebat, vi Caesareae sententiae d. 20. Iul. 1673. latae, Transactionem, & ratione quidem restituendorum a Duce Gottorpiensi fructuum e Comitatibus, Oldenburgensi ac Delmenhorstano, perceptorum, percipiendorum quoque & expensarum, quae res feliciter ipsi etiam evenit.

Digitized by Google

evenit. Compenſabatur opera, tum auctis reditibus annuis, tum Praefectura Arensböcenſi, a Principe, novum gratiae, qua complectebatur Noſtrum, daturo ſignum, adminiſtranda ei oblata. Amplificati vero ſic labores & in dies fere creſcentes, vt rebus vacare poſſet domeſticis, neutiquam permittebant. Quare ſociam, huic oneri ferendo parem, quaerere cogebatur. Inveniebat hanc auſpicato Ploenae in ſerenisſimae Principis, DOROTHEAE SOPHIAE, e ſerenisſima Domo Brunsvico-Luneburgo-Guelpherbytana originem ducentis, Virgine Aulica (Hoff-Fräulein), ANNA SIBYLLA von BRANDENSTEIN, Viri generoſi, HAVBOLDI von BRANDENSTEIN, Haereditarii in Warenburg &

Gravendorff, in Variſcia, ac Matronae generoſae, SABINAE MAGDALENAE von SACK, filia, quacum an. 1681. d. 11. Iul. ad vota tranſiit ſecunda, quae fuiſſe etiam ſecunda, imo ſecundisſima, ſpectatisſimi exempli coniux, cuius virtutes praeſtantisſimae non potuere non afferre delectationem, effecit.

Cimelium hoc coniugale auferebat Ploena, a Daniae Rege d. 13. Dec. dicti anni clementisſime vocatus in Comitatu Oldenburgenſi Cancellarius; cui Regiae voluntati annuebat quidem Princeps, Noſtrumque clementer dimittebat, per literas tamen, d. 24. Febr. 1682. ſcriptas, rogabat Regem, vellet permittere, vt BREITENAVII Ploena egreſſi conſiliis in rebus arduis porro

porro vti ſibi liceret, quod Principis deſiderium ſicut ſumma Regis clementia per reſponſorias, d. 28. Febr. exaratas, ſtatim impletum, ita Breitenaviano ſtudio annuum,idque largum, praemium a Principe d. 23. Mart. 1682. fuit ſtatutum. Etſi vero putabat, fore,vt Oldenburgi poſſet ſedem figere, ea tamen, qua pollebat, rerum gerendarum peritia plane egregia fiebat, vt a Rege Legationes graviſſimae obeundae ipſi iniungerentur. Regio itaque iuſſu eodem anno ibat Monaſterium, vt cum Principe Epiſcopo, FERDINANDO von FVRSTENBERG, nec non Electore Brandenburgico, Monarchae ſui nomine, arma conſiliaque ſociaret: hinc ad ſolennem Circuli Saxoniae inferioris Conventum, ſive Diem

Diem Circularem, qui vt iſto haberetur anno, erat conſtitutum. Quibus negotiis annuum conſumebatur ſpatium, vt adeo verno demum anni ſequentis tempore Oldenburgum reverteretur. Huic redditus, exequenda inveniebat varia publica, quibus more ſuo, i. e. ſtudio indeſeſſo, vacavit. Literis porro Regiis an. 1685. d. 21. April. in fidem datis communitus, Legati ad Aulam Caeſaream Viennenſem extraordinarii munia ſuſcipiebat, menſe Auguſto iter Vindobonenſe ingreſſus. Re in metropoli Imperatoria bene acta, vt inde exire ipſi liceret, a Rege ſuo petebat humillime, menſeque Aprili an. 1687. hinc avocatus, menſe Auguſto redibat, ſcripto, gratiae largisſime acceptae & fidei abunde prae-

praeſtitae teſſera, Caeſareo, d. 15. Iun. d. a. dato, inſtructus.

Erat iſto tempore inter Regem Daniae & Ducem Slesvico-Holſato-Gottorpienſem diſſenſio, cui tollendae Caeſaris, Electorum, Saxonici & Brandenburgici, aliorumque Principum, Miniſtri operam non ſine fructu impenderant. Vt vero res plane tranſigeretur, excellentisſimo viro, CONRADO HERMANNO von EHRENSCHILDT, Conſiliario Regio intimo, & BREITENAVIO, ea autumnali e. a. tempore commendabatur. Cum autem multae hic orirentur difficultates, DISSENTIENTES conciliaturi Miniſtri rogabant Noſtrum, vt, adeptus clementisſimum Regis conſenſum, ſe conferret Haf-

niam, ibidemque ſtatum cauſae Regi fidelisſime exponeret; quo facto, rem eo perduxit, vt, Rege manu ſua d. 20. Iun. 1689. ſic dicto Tractatui Altonavienſi ſubſcribente, lis haec fuerit ſopita.

Re ita inſigniter geſta, BREITENAVIVS m. Aug. 1689. repetebat Oldenburgum, vbi, ob praeſtita multa officia extraordinaria, magis ſemper magisque gratia cumulabatur Regia, cuius documentum erat certisſimum, quod, cum primo crearentur Miniſtri, qui a conſiliis eſſent conferendis (Conferentz-Räthe), eidem inter primos d. 1. Aug. 1693. locus perquam honorificus aſſignaretur. Idem comprobant aucta munia, ſiquidem anno ſubſequenti 1694, humillime licet de-

Digitized by Google

deprecatus hanc ſpartam, Civitatis & Terrae Butjadiae, in Comitatu Oldenburgico ſitae, fideique eius concreditae, Satrapes (Land-Droſt) Regia clementia fuit conſtitutus. Cunctis his muneribus par erat, iisdemque fungebatur tam egregie, vt publica etiam negotia extraordinaria, copioſe ei delata, non impediverint, quo minus ſalutem provinciae, cui praeerat, ſupremam ſibi legem praeſcripſerit, rei ſimul & ſacrae & ſcholaſticae curam geſſerit, emendanda emendaverit, pauperibus & afflictis opem tulerit, ac, quod praecipuum eſt, ſanctam ſancte adminiſtrarit iuſtitiam. His laboribus cum diſtringeretur, an. 1695. graviſſimo corripiebatur morbo, cuius vi ſuperata & viribus paululum recupe-

ratis, variorum magni momenti negotiorum expediendorum ergo, ineunte anno 1696 arceſſebatur Hafniam, vnde, poſt integrum exactum annum, verno demum anni ſequentis tempore remigrare, ipſi concedebatur. Traditum ei interea erat opus, otium requirens, quod vt nanciſceretur, vacationem munerum ordinariorum an. 1698. pariter ac 1699. demisſiſſime petebat a Rege, qui, graviſſimis commotus cauſis, precibus his locum non dabat, ſed revocare eum ad Aulam, ſatius ducebat. Regiae proinde voluntati obtemperaturus, m. Mai. 1699. denuo tendebat Hafniam, in qua civitatum Danicarum principe commorantem vehementiſſime afficiebat, quod glorioſiſſimae memoriae Rex, CHRI-

STIA-

Digitized by Google

STIANVS V, a quo clementia abundantiſſime erat ornatus, hoc obiret anno, coronamque terreſtrem cum coeleſti commutaret. Quam vero paſſus erat iacturam, eam clementiſſime reſarciebat auguſtiſſimae itidem memoriae Rex, FRIDERICVS IV, qui illuſtrem *Conſiliarii intimi* dignitatem d. 9. Ian. 1700. ei conferebat, & inter Deputatos ad dirigendos, in Regnis, Ducatibus & Comitatibus, reditus Regios d. 20. Ian. e. a. eum cooptabat. Magnis vero his honoribus maiori fruitus eſſet oblectamento, niſi placuiſſet ſupremo rerum arbitro, iterum Viduis ipſum adſcribere, ſiquidem an. 1701. d. 14. Ian. e vita migrabat Vxor optima, honoris ergo ſupra memorata ANNA SIBYLLA von BRAN-

DENSTEIN, in cuius amoenisſimo conſortio viginti annos non ſecus conſumſerat, ac ſi viginti fuiſſent dies, prolis defectum lectiſſimis, quibus inſignita erat haec Matrona, virtutibus vberrime remuneratis.

Indefeſſis autem laboribus, huc vsque continuo exantlatis, fere fractus, tranquillum & pacatum anhelans vitae genus, a conſuetis officii laboribus, quos adhuc in commune commodum ſumma inſumſerat fide & dexteritate, ſolvi diſcupiebat, dimiſſionemque idcirco humillime petebat a Rege, qui clementiſſime iſtam quoque conceſſit, ea tamen conditione, Regis gratiam & maximam, quam de ipſo habuit, fiduciam ſatis ſuperque teſtante, vt Commiſſionem, quam vocant, generalem

Digitized by Google

ralem per provincias habendam in primis ſuſciperet, ſuoque eam praeſidio moderaretur. Obſequebatur demisſiſſime Regi, cuius iuſſa expleturus, abibat ſub dicti anni finem Hafnia, vt opus ſibi demandatum inchoaret. Vix autem eius fecerat initium, cum iniungeretur ipſi, vt adiret Comitatus Oldenburgenſem & Delmenhorſtanum, ibidemque ſumma auctoritate Regia conſcribendam Militiam provincialem in ordinem redigeret. Quantopere placuerit Regi opera huic rei impenſa, vel inde licet colligere, quod Is d. 28. Aug. 1701. novum gratiae documentum daturus, ſplendido *Ordinis Equeſtris Dannebrogici* ornamento eum inſignivit. Demandabatur ei ſimul res, quae obvenerat, cum Bremenſi

Bremenſi Civitate tranſigenda, cuius ergo cum Magiſtratu collocutus, Hafniam mox rediit. Peracta ibidem cauſa Bremenſi, variisque aliis momenti haud exigui negotiis, multorum menſium ſpatio, expeditis, remigrabat in Holſatiam, opera ipſius in non paucis arduis negotiis, & publicis & privatis, per id rerum diſquirendarum & agendarum genus, quod forenſi ſermone Commisſionum venit nomine, ad finem perductis, indigentem. Quibus rebus factum eſt, vt memorata Commiſſio generalis, ipſius moderamine ſuſcepta, cuius vix initium facere Ei licuit, longa non potuerit ſerie continuari.

Rege nimirum clementisſime annuente, virium, quae, aeque ac anni, non

non ſinebant porro labores tolerare graviſſimos, e negotiorum mole, quae parum aberat, quin ipſum obruiſſet, recolligendarum ergo, eligebat *Lubecam*, in qua vrbe frueretur quiete poſt laborem, &, quod reſtabat, vitae tempus, ſine moleſtiis ac curis, commode tranſigeret. Lubecae vero vti tantus hoſpes erat gratisſimus, ita non decentiſſime modo eum recipiebat, ſed ducebat iſthaec ſibi quoque honori praeſentiam Viri, quem ornamentis ſuis iure poterat annumerare. Aſt & hic otium ipſius non poterat non eſſe negotioſum. Vix enim ſedem in noſtra vrbe fixerat, cum relicti a defuncto Duce Ploenenſi, IOHANNE ADOLPHO, nepotis, LEOPOLDI AVGVSTI, Tutela ipſi ſuppeditaret,

quod ageret; quae cauſa eius miniſterio acta fuit ita, vt praefixus ſcopus omnino obtineretur. Ineunte anno 1705 rurſus petebat Hafniam, vt de geſtis huc usque in hoc negotio referret,&,quid porro agendum,perciperet. Ibi vero multis laboribus aliis ipſi delatis ita fuit diſtrictus, vt detineretur ad menſem vsque Octobrem, quo demum in Holſatiam eſt reverſus. Hic autem aderant mox, quae Breitenavianam efflagitabant operam, res ſcilicet monetaria cum Principali Domo Gottorpienſi tractanda: praetenſa ab eadem reluitio Comitatus Rantzovienſis: nec non, mortuo d. 4. Nov. 1706. memorato Principe iuventutis Ploenenſi, LEOPOLDO AVGVSTO, exortae inter ſuccedentem Ducem, IOACHIMVM

MVM FRIDERICVM, Norburgenſem, & Ducem, IOHANNEM ADOLPHVM ERNESTVM FERDINANDVM CAROLVM, Rethwiſchenſem, ſucceſſionis ergo, quae amplisſimum litis campum aperire videbatur, controverſiae, quas Compoſitione d. 24. Dec. d. a. facta & a Regia Maieſtate Danica deinceps confirmata, feliciter diremtas ſuſtulit, approbante clementisſime, qui ſingularem inde ceperat voluptatem, Auguſtisſimo Rege, cui hac etiam re prudenter admodum geſta valde ſe probavit. Abſoluta deinde vix erat in nonnullis Praefecturis pars quaedam benignisſime ipſi demandatae generalis per provincias Slesvico-Holſaticas Commisſionis, cum Noſter ſub initium

anni 1707. Regio iuſſu adiret Hamburgum, eo fine, vt, coniuncto ibidem cum Ipſius, aliorumque Miniſtrorum Danicorum opera, Legatorum, Anglici, Suecici, Belgici, Luneburgici, ſtudio, auferrentur, quae Regem Danicum inter & Ducem Gottorpienſem ſupererant, gravamina; quo negotio tres fere annos, 1707, 1708 & 1709, conſumſit, vsque ad ſecutum bellum Danico-Suecicum, quod rei ad liquidum perducendae impedimento fuit, ſive, vt ſtylo aiunt politico, tractatus abrupit. Cum itaque Regii Deputati, colophone huic cauſae non addito, diſcederent, BREITENAVIVS redibat Lubecam, vbi licet deſiderata dudum quiete ſe tandem aliquando fruiturum eſſe, ſperaret, eam tamen Ipſi agere

agere non licebat vitam, quae difficilibus & intricatis rebus, iſtius etiam ſtudio, conſiliis, peritia, extricandis, plane vacaret. In his erat ortum denuo memoratos inter Duces, IOACHIMVM FRIDERICVM, Ploenenſem, & IOHANNEM ADOLPHVM ERNESTVM FERDINANDVM CAROLVM, Rethwiſchenſem, de Compoſitione an. 1706 facta, veroque eiusdem ſenſu, diſſidium, labore an. 1714 & 1715 exantlato, novaque Compoſitione, qua Diſſentientes primo, amice poſtea conſentiebant, ex voto remotum. Operam cauſae Succesſionis Ploenenſis navatam renovabat IOACHIMI FRIDERICI, Ducis, obitus, qui an. 1722. d. 22. Ian. contigit, renovata

inter Ducem IOHANNEM ADOLPHVM ERNESTVM FERDINANDVM CAROLVM, Rethwiſchenſem, & regnantem hodie Ducem Ploenenſem, FRIDERICVM CAROLVM, de Succeſſione controverſia, ad quam, magnos licet motus magnasque difficultates minantem, ſuum tamen ſtudium tam ſapienter adhibuit Noſter, vt & illi, ſuprema auctoritate rite deciſae, coronidem viderit impoſitam. Suſcepit quoque & ſuſtinuit onus, quo iis, quae, vacante ſede Ducali, in Adminiſtratione Ploenenſi emendanda erant, mederi contendit. Sic ille, extra Aulam licet vivens, varia tamen geſſit Aulica, aptus ſcilicet in primis & idoneus ad ea proſpero exequenda ſucceſſu iudicatus.

Digitized by Google

catus. Imo vero, vt paucis dicam, AVGVSTVS Danicus in Noſtro, & praeſente & abſente, habuit *MAECENATEM*, fide ſumma pariter ac peritia maxima, qua vtraque niti poterat, conſpicuum. QuareBREITENAVII ſui dexteritatis fiducia, ad ipſum diem emortualem durante, Auguſtisſimus Daniae Monarcha tenebatur adeo, vt is de maximi momenti rebus conſuleretur,eiusque demiſſisſimae relationes, vsque ad biennium mortem antegreſſum continuatae, & conſilia ſaluberrima, ſumma clementisſimi Regis, cuius Regiae Domus Regnorumque emolumentis pro viribus proſpicere, vti partium ſuarum exiſtimabat, ita omne quoque ſtudium, omnemque operam in eo laudatisſime defixit, gratia, ad obitum

obitum vsque eum complexa, benignisſime exciperentur.

Ad ea vero & multitudine & magnitudine commemorabilia officia, quae huc vsque levi ſcripturae genere & vix digno tanti viri perſona, breviter attigimus potius, quam plene recenſuimus, rite praeſtanda, vti non animi ſolum, ſed corporis etiam requirebantur vires, ſic, illis abundantisſime inſtructus, his etiam per maximam vitae partem frui, divina Ipſi contigit clementia. Proſperrima enim vtebatur valetudine, qua non multa ſolum, quae aliis gravia ſunt ac moleſta, ferre poterat, ſed admirandus quoque animi excitati & confirmati vigor ne gravi quidem morbo, quocum an. 1695. Ipſi fuit conflictandum, infringebatur, ad

ad eam potius conſervabatur aetatem, quam attingunt paucisſimi, vt adeo ſenectus ſine ſenectute Ei recte adſcribatur. At enim vero id, quod cunctis evenit mortalibus, Noſter, hominem ſe, ideoque nihil humani a ſe alienum, putans, tandem quoque divina ſenſit voluntate. Verno enim anni 1730 tempore morbo, quem apoplexin vocant, opinione celerius fuit correptus; qui morbus quo periculoſior & velocitatis, qua advolarat, & annorum, quorum numerus magnus, cauſa videbatur, eo felicius venae ſectione, ab Ipſo partim ſignis, partim infirma admodum voce, efflagitata, ſtupentibus cunctis, qui affectu apoplectico tentatum vel viderant, vel audiverant, exiguo temporis ſpatio

pellebatur. Nondum enim elapſae erant viginti & quatuor horae, cum Noſter non lectum modo relinqueret & e conclavi, quod in ſecunda domus contignatione erat, in coenaculum deſcenderet, ſed redintegratam quoque cerneret facultatem, qua poterat & ſtudio, quo cummaxime delectabatur, literario vacare, & conſueta obire negotia. Sic levatus erat morbo; aſt, quod reticere nolo, non omnibus tamen reliquiis, quae gravem adeo & periculi plenum caſum, praeſertim, quando is ſeni oboritur longaevo, ſolent excipere. Animadvertebant enim illi, qui Ipſi quotidie aderant, infirmatas corporis vires: lumen oculorum, quibus huc usque, ſine conſpicillo, aut inſtrumento alio, quo arman-

armantur oculi, adhibito, ſcripturas minutas, imo minutisſimas, relationes e. g. publicas, & his ſimiles, accurate legere potuerat, debilitatum, quod exinde ſcriptorum & librorum maiuſculis expreſſorum literis lectionem modo permittebat: defectum quendam memoriae, quae reminiſcendo quidem praeteritorum & olim geſtorum raro fallebat, a priſtina tamen firmitate, locum Ipſi inter Polymnemones aſſignante, incipiebat quodammodo declinare. Neque procul aberat morbus, in laſſos & defatigatos ſenes impetum faciens, quem *maraſmum* Medici ſolent appellare. Huic d. 7. Ian. 1732. comitem ſe adiungebat inſuetus calor internus, qui quo magis exardeſcebat, eo citius poterat exiguas,

quae ſupererant, vires adimere, mortemque accelerare. Quam cum imminere ſentiret, non ſanctiori ſolum vtebatur miniſterio viri, cui animae curam commiſerat, CHRISTOPHORI RHON, Paſtoris quondam Iacobaei meritisſimi, ſed Ipſe etiam Salvatoris optimi maximi pie recordando, orando, meditando, faciebat, quod moribundi Chriſtiani officium requirit. Atque ita fide plenus memorato anno 1732. d. 11. Ian. circa horam octavam veſpertinam placida beataque morte animam reddebat illi, a quo eam acceperat, annorum 93, menſium 4 & dierum 30 ſpatio in hac mortalitate exacto. Vti vero dudum ante mortem cogitaverat de morte, ſic triginta fere ante obitum effluxerant anni ab eo tempore

tempore, quo loculum condendum & veſtimenta ſepulchralia conficienda curavit, ſimulque tabulis manu Ipſius ſcriptis iuſſit, vt decenter quidem ac more Chriſtiano, ſine vana tamen pompa, ſepeliretur; quae Eius voluntas fuit etiam d. 28. Ian. d. a. hora nona veſpertina exacte impleta. Exanime itaque corpus ſepulchro haereditario, quod in Lubecenſi noſtro Templo AEgidiano aedificandum, & tum Imagine Salvatoris cruci affixi, piisque verbis ac dictis potiſſimum Biblicis, de morte Chriſtiana & ſecutura eandem felicitate, agentibus, tum hac Inſcriptione:

MEMENTO MORI.
SEPVLCHRVM BREITENAVIANVM.
ANNO MDCCXV.

exornandum curaverat, illatum quidem eſt; at tumulus, qui tegit corpus, minime potuit magna Eius merita, partamque inde gloriam, contegere. Supereſt enim tanti Viri memoria, ſupereritque in republica ſacra, in orbe civili, in civitate literaria, nec vlla eam delebit oblivio.

Sanctior respublica genuinis ſuis accenſere poteſt membris BREITENAVIVM, Lutheraniſmi & purioris doctrinae amantisſimum, qui vti iuvenis fautore ſingulari vſus eſt laudato ſupra SECKENDORFIO, ita ex huius etiam indole videtur hauſiſſe. In hac DEO dilecta ſocietate excellentisſimis emicuit virtutibus, e quibus regina earum, *Pietas*, venerabile iſtud in Politico etiam nomen, primo venit loco

loco nominanda. Huius tot dedit documenta, quot forſan in perpaucis modo licebit coniunctim offendere. Documenta pietatis illuſtria ſunt *Hymni ſacri*, ſpiritu & efficacia pleni, variaque Chriſtianiſmi ardua momenta ſolide pertractantes & egregie exprimentes, quos vel Ipſe totos compoſuit, vel ab aliis compoſitos tam ratione meditationum ſanctiorum, quam ratione poëſeos emendavit, quorumve ope non ſuam modo mentem, ſed aliorum quoque pectora pietate imbuere & adaugere ſtuduit. Ornant illi Cantionalia duo, Ploenenſe (1) & Oldenburgenſe (2), vbi Hymni, quos Ipſe ſolus elaboravit, duobus punctis .., ab

---

(1) 1682. 12. obl.

(2) 1687. 8.

ab Eodem vero correcti vno puncto, indicati reperiuntur; ob quem laborem praeclarisſimos inter Poëtas ſacros locum illuſtrem meretur. Documentum pietatis eſt *Cultus publicus*, cuius ergo AEdes intrabat vrbis noſtrae ſacras publicas, & creberrime quidem Templum Iacobaeum, vbi conſervatur etiam Eius memoria ope perinſignis & pretioſi ornatus, quo Altare Iacobaeum condecoravit. In hoc Templo orabat ardenter, audiebat divinum verbum aſſidue, ſanctisſimo fruebatur religioſisſime epulo, vna cum coetu publico eorum, qui ſimili ratione per coeleſtem hanc medicinam adverſus morbos animae quaerebant remedium. Documentum pietatis eſt *Cultus privatus*, quotidie, & prae-

praeſertim imminente veſpera, exercitus cum domeſticis, quos, aeque ac ſe ipſum, Inſtrumento Muſico, quod inprimis Organi nomine ſolet inſigniri, excitandos curabat, vt mentes eo magis inflammarentur. Documentum pietatis eſt *Apparatus Exegeticus* (3), Ipſius cura adornatus atque digeſtus, vna cum Operibus & Libris ſacrorum oraculorum interpretationi inſervientibus, quos magna poſſedit copia. Documentum pietatis eſt *Apparatus Chriſtologicus* (4), ſimili ſtudio ab Eo congeſtus, qui, aeque ac Chriſtologica alia, intenſisſimum luculenter oſtendit amorem erga Salvatorem optimum, cuius maioris ſemper co-

---

(3) Vid. Biblioth. Breitenav. Tom. I. p. 36ſqq.
(4) loc. cit. p. 219ſqq.

gnitionis adipiſcendae ergo conquirendos & pervolvendos putavit libros & ſcripta, in quibus doctrina, qua nulla melior, ſanctior, ſalubrior, proponitur, illuſtratur, contra hoſtes veritatis defenditur. Documentum pietatis eſt diligens *Bibliorum lectio* (5), ſiquidem rivulis non contentus, ex ipſo haurire fonte, ſatius ducebat: neque lectio tantum, ſed accurata etiam *ſcrutatio*, diebus potisſimum inſtituta dominicis, quibus non Commentarios modo in S. Codicem ſolebat perluſtrare, ſed ipſe etiam meditabatur, vt oracula praeſertim difficiliora intelligeret, verumque eorum ſenſum erueret; qua in re Eum feliciter fuiſſe ver-

(5) De Bibliorum exemplari, quo potisſimum vſus eſt, vid. quae obſervavi l. c. pag. 7.

Digitized by Google

verſatum, ipſa me docuit experientia, vt adeo non pro teſte aurito tantum, ſed oculato etiam, me hic posſim recte gerere. Documentum pietatis eſt *Liberalitas*, tum generatim erga egenos, quibus opem ferre, laudatiſſime contendit, tum duabus ſigillatim aedibus, Numini ſacris, declarata. Commemorandum hic primo eſt *Templum Waddenſe*, in Comitatu Oldenburgico ſitum. Erat apud Waddenſes quidem AEdes ſacra, ſed vetuſtate ac vicini admodum Viſurgis fluctibus & inundatione laeſa adeo ac detrita, vt de eadem, ruinam minante, periculi hinc metuendi ergo, penitus demolienda, ſimulque de Waddenſibus, coetibus ſacris, qui erant proximi, inſerendis, in Aula cogitaretur. Quid

vero BREITENAVIVS? Ille, triſti Waddenſium, quorum curam geſſit paterna fere maiorem, commotus fato, non de meliori modo commendabat Regi cauſam eorum, humillime rogantium Auguſtisſimum Daniae Monarcham, vellet clementisſime ſibi concedere novi Templi aedificationem, quae res ſummae Regis gratiae, non verbis modo benignisſimis, ſed donis etiam vere Regiis, oſtenſae, beneficio ex voto, cuius Waddenſes redditi ſunt compotes, ſuccesſit; verum Ipſe novi etiam Templi dirigebat an. 1696 & 1697 aedificationem, muneribusque, ſuis quae detrahere malebat fortunis, quam occaſionem divinum amplificandi honorem & ſaluti hominum religioni Evangelico-Luthe-

Lutheranae addictorum inſerviendi, praetermittere, largisſime datis rem hanc inſigniter promovebat. Vnde prudentiae & curae Breitenavianae potisſimum in acceptis referre oportet Waddenſes novum, quod nacti ſunt, Templum, a Viſurgi, & ſimul ab inundationis periculo, longius remotum. Cum Oldenburgico munificentiae Breitenavianae monumento Cimbricum coniungi omnino meretur. Quod dum nomino, ad *Scholam Ploenenſem* digitum intendo. Hanc enim erexit BREITENAVIVS, quatuor inſtruxit Praeceptoribus publicis, docendarum in eadem & ſanctiorum & humaniorum literarum ergo conſtitutis, quibus habitationum aeque ac ſuſtentationis ratione proſpexit, pecuniis haud exi-

Digitized by Google

